



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,
Speciatim**

Coninck, Gilles de

Antverpiae, 1623

Dvb. IV. Quid senserit Pelagius de supernaturalitate actuum quibus ad salutem pertingimus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)

Quid senserit Pelagius de supernaturalitate actuum, quibus ad salutem pertingimus?

33 **C**um qualitatem actuum quibus ad salutem pertingimus, maximè debeamus discernere ex ijs, quæ Concilia sanctique Patres contra Pelagianos ac Semipelagianos disputantes de ijs definiunt: item cum hæc perfectè intelligere nequeamus, nisi prius intelligamus quid illi senserint, hoc breuiter hic duxi explicandum. Rursum cum, vtrum & quæ ratione aliquis actus sit supernaturalis, non possumus iudicare, nisi ex auxilijs supernaturalibus ad eum eliciendum necessarijs, vt intelligamus quid illi senserint de supernaturalitate istorum actuum, prius explicandum nobis est, quid senserint de gratia ad dictos actus eliciendos necessaria, quæ hoc & sequenti dubio explicabimus. non quidem omnes eorum errores prosequendo (hoc enim ad tractatum de gratia spectat, à quo quantum fieri potest statui abstinere) sed eos solum qui ad præsentem materiam explicandam spectant.

34 Quorum explicationem eo magis duxi necessariam, quod ex eorum ignorantia videam multos tam in hac quam in materia de gratia in grauissimas difficultates incidere, credentes in ijs quædam esse damnata quæ verè sunt catholica. Huic autem errori causam dedit, quod tam Pelagiani, quam Semipelagiani (vt D. August. & Prosper sæpè de ijs testantur) quod eorum errores magis speciosi, & minùs à Scripturæ definitionibus abhorrentes apparent, sæpè obscure & ambigè loquerentur, vti ita plus diuinæ gratiæ viderentur tribuere, quam reuera tribuebant; vnde quod vno loco pro gratia catholicè assererent, alio ita explicabāt vt totum euertent. vnde multi quædam eorum dicta ab alijs aualla per se considerantes, putant eos omnia alia sensisse, quam reuera senserint, atque ita credunt quædam in ijs esse damnata, de quibus inter eos & Catholicos nulla vnquam fuit controuersia, aut etiam quæ ipsi nunquam senserunt: vt patebit ex dicendis.

55 **Q**uod autem ad Pelagianos spectat, præcipua hic est difficultas, vtrum ipsi agnouerint veram gratiam internam, quam Deus non mediantibus externis creaturis, v. c. librorum lectione aut concionatoribus, sed immediatè per se nobis inspirat; quæque liberum arbitrium fiat potens liberè elicere actus ad salutem necesarios, ad quos eliciendos ex suis præcisè viribus est impotens. Cuius difficultatis solutio, (cum Pelagianorum scripta non extant) ex ijs quæ D. August. de ijs scribit, nobis eruenda est. Specto autem me ex his talia relaturum, ex quibus res ita clarè pateat, vt nulli veritatis amanti restet vltior ea de re dubitandi locus.

55 **Q**uod autem ad Pelagianos spectat, præcipua hic est difficultas, vtrum ipsi agnouerint veram gratiam internam, quam Deus non mediantibus externis creaturis, v. c. librorum lectione aut concionatoribus, sed immediatè per se nobis inspirat; quæque liberum arbitrium fiat potens liberè elicere actus ad salutem necesarios, ad quos eliciendos ex suis præcisè viribus est impotens. Cuius difficultatis solutio, (cum Pelagianorum scripta non extant) ex ijs quæ D. August. de ijs scribit, nobis eruenda est. Specto autem me ex his talia relaturum, ex quibus res ita clarè pateat, vt nulli veritatis amanti restet vltior ea de re dubitandi locus.

re possemus seruare, & hanc gratiam constituisse in sola doctrina externa, & Christi exemplo, docuisse quæ gratiam ad opera bona omnino necessariam esse solum liberum arbitrium nobis gratis à Deo datum. Et hæc bene probat ex D. Augustino l. de Hæresibus hæresi 88. vbi dicit, Pelagium increpitum à Patribus, quod nihil gratiæ Dei tribueret, dixisse: ad hoc eam dari hominibus, vt quæ facere per liberum iubentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam. Subdit autè August. Dicendo vti quæ facilius possint, voluit credi etiam si difficilius, tamen posse homines sine gratia diuina facere iussa. Illam verò gratiam Dei, sine qua nihil possumus facere, non esse dicunt nisi in libero arbitrio, quod nullis suis præcedentibus meritis ab eo accepit nostra natura, ad hoc tantum adiuvante ipso per suam legem & doctrinam, vt discamus quæ facere & quæ sperare debeamus. Ex quibus aperte patet, Pelagianos per gratiam quæ dat nobis posse facere, intellexisse nudam naturam liberi arbitrij: per gratiam verò quæ iuuat ipsum posse, siue ipsam possibilitatem (vt alij vocant liberum arbitrium) quæque dat facilius posse, intellexisse nudam propositionem mandatorum & promissorum Dei. Idem de eo docet August. lib. de Gratia Christi cap. 41. vt ostendam n. 64.

56 **T**ertio, ait eum postea convictum aliorum argumentis concessisse etiam gratiam interiori requiri ad posse bene operari, scilicet intellectus illustrationem ac voluntatis motionem; semper tamen negasse gratiam, qua Deus facit nos facere. Probat hæc Primò, ex varijs locis D. Augustini l. de Gratia Christi, vbi cap. 7. adfert hæc verba Pelagij: *Adiuuat enim nos Deus per doctrinam & reuelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit: dum nobis ne præsentibus occupemur futura demonstrat: dum diaboli pandit insidias: dum nos multiformi & ineffabili dono gratiæ celestis illuminat.* Et ibidem c. 10. adfert hæc ipsius verba: *Operatur in nobis (scilicet Deus) velle quod bonum est, velle quod sanctum est: dum nos terrenis cupiditatibus deducit, mutorum more animalium tantum præsentia diligentes, futura gloria magnitudine, & præmiorum pollicitatione succendit: dum reuelatione sapientia in desiderium Dei stupentem suscitatur voluntatem: dum nobis (quod tu alibi negare non metuis) suadet omne quod bonum est.*

57 **P**robat Secundò, quia D. August. alloquens Pelagianos eodem l. c. 24. ait: *Legant ergo & intelligant, intueantur & fateantur, non lege atque doctrina insonante forinsecus, sed interna atque occulta mirabili atque ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, non solum veras reuelationes, sed etiam bonas voluntates.* Vbi August. supponit, admisisse Pelagium Deum operari in nobis veras reuelationes, & solum negasse ab eo fieri bonas voluntates. Sed hic locus meo iudicio contrarium probat. nam D. Augustinus ibi opponit doctrinam sonantem forinsecus internæ Dei operationi, aperte insinuans Pelagium illam solum admittere, & hanc negare. Nec refert quod videatur supponere, Pelagium fateri Deum in nobis operari veras reuelationes, quia hæc tam possunt fieri per externam locutionem, quam per internam: nam dum alteri secreta aliqua pandi-

August. D. Prosser. Cui multi errant circa errores Pelagij, & Semipelagianorum.

55 Præcipua difficultas circa sententiam Pelagianorum.

August.

55 Did. Aluariz.

pandimus ac explicamus, excitando, adiutando, & per scientiæ communicationem illuminando eius intellectum, veras in eo operamur reuelationes; & tamen id facimus per solam doctrinam extrinsecus sonantem. Atque ita si ne concessione gratiæ verè internæ facilitè potuit Pelagius admittere, Deum in nobis operari veras reuelationes, suam nimirum voluntatem, legem ac promissâ nobis per Prophetas & Scripturas reuelando. Adde, ex dictis D. Augusti. verbis, nullo modo necessariò colligi Pelagium concessisse Deum in nobis operari veras reuelationes (hoc enim, ut illa verba in obuiò & plano sensu vera sint, nullo modo requiritur) sed ex dictis D. Augustini verbis solùm necessariò inferitur, Deum de facto præter illuminationem intellectus, etiam interna motionem cordis operari in nobis bonas voluntates.

58 *August.* Quartò, ait discipulos Pelagij admississe, veram internam gratiam esse absolutè necessariam, non quidem ad initia bonorum actuum, sed ad ea perficienda. Probat hoc ex varijs locis D. Augusti. quibus inducit Pelagianos fatentes nos incipere bona opera, & Deum deinde nos iuuare. ut l. 1. contra duas epistolas Pelagianorū c. 18. & l. 2. c. 5. & 6. & præsertim c. 8. ubi ait: *Isti* (scilicet Pelagiani) *volūt in homine ab ipso homine incipere cupiditatem boni, ut huius cepti meritum gratia subsequatur, si tamen hoc saltem volunt. Pelagius enim facilius dicit impleri quod bonum est, si adiuvet gratia. Quo additamento, id est addendo facilius, vique significat hoc se sapere, quod etsi gratia defuerit adiutorium, potest, quamquam difficilius impleri bonum per liberum arbitriū. & infra: Hoc enim nobis obijciendum putarunt, quod inuito & reluctanti homini Deum dicamus inspirare, non quanticumque boni, sed ipsius imperfecti cupiditatem. fortassis ergo ipso modo saltem seruant locum gratiæ, ut sine illa putent hominem posse habere boni, sed imperfecti cupiditatem; perfecti autem non facilius per illam posse, sed nisi per illam omnino non posse.*

59 Sed nec hæc loca quidquam probant, Primò, quia dum August. in priore testimonio dicit: *Si tamen hoc saltem volunt;* & in secundo, *Fortassis ergo ipsi, &c.* apertè indicat esse dubium an senserint gratiam ea ratione esse necessariam. Secundo, quia, ut infra apertis testimonijs probabo, quantumvis quandoque admitterent aliquam gratiam, quæ voluntas nostra à Deo iuuetur, siue ut facilius, siue ut absolutè possit bene operari; tamen hanc non volebant esse aliam quàm doctrinam nobis extrinsecus per legem, concionatores, exempla Christi, aut per similes modos propositam. Adde, etsi daremus eos Pelagianos agnouisse eiusmodi gratiam verè internam, inderamen nullo modo sequeretur, quod Alvarez intendit, scilicet eos agnouisse veram internam gratiam qua reddamur verè potentes elicere actus quibus disponimur ad iustitiam. Quia, ut patet ex Mileuit. cap. 4. & Arausic. c. 5. ad hoc non solùm est necessaria illustratio intellectus, sed etiam motio voluntatis, quæ Deus hanc immediatè mouet & adiuvat. Ex omnibus autem quæ Alvarez pro sua sententiâ adfert, etsi secundum ipsius sensum explicantur, ut summum sequitur, aliquos Pela-

gianos admississe, aliquam internam illustrationem intellectus à Deo nobis immitti, ut facilius aut perfectius possimus operari: cum quo optimè consistit, eos negasse Deum immediatè infundere gratiam ipsi voluntati, quæ ipsa fiat potens bene operari, quæque ad bene operandum sit absolutè necessaria. quod Augustinus semper ab ijs exegit: & illi semper negarunt.

CONCLUSIO I. Pelagius eiusque discipuli nullam omnino agnouerunt gratiam, verè internam, siue quam nobis Deus immediatè interiùs inspirat; sed omnem gratiam ponebant in donis naturæ, externa doctrina, exemplis Christi, &c. & per hæc sola dicebant Deum nos illuminare, mysteria sua reuelare, & stupentem nostram voluntatem excitare; sicut præceptor in scholis, aut concionator è pulpito tuos auditores illuminat, mysteria Dei reuelat, eos ad pietatem mouet, &c. Patet Primò, quia omnia eorum verba, quibus gratiam exprimunt, si bene considerentur, verè nihil aliud sonant, quàm externam doctrinam, ut patet ex ijs, quæ Alvarez ut contrarium probet, supra attulit.

Secundò, quia D. August. id pluribus locis expresse docet, & maxime in libro de Gratia Christi, & epistola 107. atque adeo ijs locis ex quibus Alvarez maxime conatur contrarium docere. Nam in dicta epistola initio sæpè testatur, Vitalem Pelagianum docuisse, Deum non aliter operari in nobis bonam voluntatem, ac gressus nostros dirigere, quàm proponendo nobis legem & doctrinam per prædicationem Euangelij, & quando nos ei assentimur, id naturali libertate facere, & deinde subiungit: *Si ergo ita præpararet ac operaretur Deus hominis voluntatem, ut tantummodo legem suam atque doctrinam libero eius adhiberet arbitrio, nec vocatione illa alta atque secreta ita eius ageret sensum, ut eidem legi atque doctrinæ accommodaret assensum; proculdubio ea legere vel intelligere legendo, vel etiam exponere aut prædicare sufficeret, nec opus esset orare, ut Deus ad fidem suam infidelium corda conuerteret. Vbi sic argumentatur: Si Deus non aliter præpararet voluntates infidelium, quàm proponendo ijs suam legem & promissâ; volentibus eos conuertere sufficeret ita ijs proponere ac explicare Scripturas, ut possent eas intelligere, nec esset opus rogare Deum, ut eos ad fidem conuerteret. Quæ argumentatio nulla fuisset, si Pelagiani credidissent Deum nobis legentibus aut audientibus Scripturas interiùs immediatè illuminare intellectum, aut excitare voluntatem: nam Augustino respondissent, non sufficere legere aut prædicare Scripturas; sed requiri præterea internam illam gratiam, & Deum orandum ut hanc det.*

Item l. de Gratia Christi c. 9. *Quid enim, ait, iuuat Pelagium, quia diuersis verbis eandem rem dicit, ut non intelligatur in lege atque doctrina gratiam constituere, quæ possibilitatem naturæ asserit adiuvantem? Ex quibus patet, Pelagium admississe quidem gratiam adiuvantem, sed solam externam. Patet Secundò, responsio ad loca supra pro contraria sententiâ allata: nam varia illa verba, quibus Pelagiani aliquando videntur veram gratiam*

60
Pelagiani
solam externam Dei
gratiam ad-
miserunt.

61
August.

Vitalis Pe-
lag.

62
August.

Concil. Mi-
lenit.
Concil. A-
rausic.

Alvarez.

tiam significare, ex eorum sensu teste D. Augustino solam externam doctrinam significant.

63
August.

Item capite 13. ibidem ait : *Hac gratia si doctrina dicenda est, certe sic dicatur, ut aliis & interioribus eam Deus cum ineffabili suauitate credatur infundere, nec solum per eos, qui plantant & rigant extrinsecus (ut scilicet volunt Pelagiani) sed etiam per seipsum, qui incrementum administrat occultus.* Sanè si Pelagiani concesserint Deum non solum per concionatores, libros, & similia obiecta externa, sed etiam per se immediatè suam doctrinam nobis interioribus inspirare, ac intellectum illuminare; iniuriam illis facit D. Augustinus, qui solum prius illis tribuit, & ut secundum etiam fateatur, toties, ac tam importune, quasi id pertinaciter negarent, ab ijs efflagitat.

64
August.

Item ibidem cap. 41. de Pelagio ait : *Tria illa constituit, possibilitatem, voluntatem, & actionem (id est, ut August. infra c. 47. explicat, naturam liberi arbitrij, volitionem, & operationem) & solam possibilitatem dicit diuino semper adiuuari auxilio, voluntatem autem, & actionem nullo Dei adiutorio estimat indigere. ipsum verò auxilium quo possibilitatem naturalem perhibet adiuuari, in lege constituit atque doctrina, quam nobis fateatur etiam à S. Spiritu reuelari (scilicet per Scripturas) propter quod & adorandum esse concedit (scilicet ut Scripturas nobis integras conseruet, nec permittat interire, aut vt infidelibus concionatores, qui Scripturas explicent, destinet.) sed hoc adiutorium legis atque doctrina etiam Prophetis fuisse temporibus; adiutorium autem gratia, quæ proprie gratia nuncupatur, in Christi arbitratu esse exemplo. quod nihilominus ad doctrinam pertinere perspicitis, quæ nobis Euangelica predicatur, ut videlicet tamquam via demonstrata, qua ambulare debeamus, iam viribus liberi arbitrij, adiutorio nullo vltius indigentes sufficiamus nobis, ne deficiamus in via: quamuis ipsam viam contendas, & sola inueniri possent natura, sed facilius si adiuetur gratia.*

Pelagius gratiam nouo relemento propterea potestatem in Christi exemplo.

65

Ex quibus patet Primò, cum Pelagiani, teste Augustino, gratiam præcipuam, & Christo propriam constituerint in solo Christi exemplo (quam patet non posse dici gratiam, siue doctrinam nobis intrinsecus inspiratam) eos multò magis per omnem aliam gratiam, solam externam doctrinam intellexisse, quibuscumque nominibus eam erroris sui occultandi gratia vocant: vt etiam docet August. c. 9. supra citato n. 62. Patet Secundò, Pelagium etiam ipsam gratiam, quæ datur vt facilius bene operemur, constituere in sola externa doctrina.

August.

66
Cur Pelagius admiserit gratiam quæ iuuaret possibilitatem, non tamen volitionem aut operationem.

Patet Tertiò, cur Pelagius concesserit gratiam, qua iuuetur possibilitas, non tamen eam qua iuuetur volitio, & operatio. & contra cur August. ibidem c. 47. ita ab eo exegerit gratiam qua hæc iuuentur: quia scilicet ille admittebat solam externam doctrinam, quæ iuuat nos quidem in ijs cognoscendis, quæ facienda sunt, tamen non influit in ipsam volitionem aut operationem, nec dat voluntati vires, quibus possit implere quæ facienda sunt; sed hoc fit per gratiam internam & caritatem, quam Spiritus sanctus diffundit in cordibus nostris, vt docet Apostolus ad Roman. c. 5. & 7. & Mileuitanum

Roman. 5. & 7. Mileuit.

Coninck de act. supernat.

cap. 4. & August. pluribus locis. quam gratiam August. Pelagius negabat.

CONCLUSIO II. Quæstio præcipua Catholicis cum Pelagianis fuit, an ad facienda opera pertinentia ad salutem, sufficiat sola doctrina externa, an verò præterea requiratur gratia, quam Deus immediatè cordibus nostris inspiraret, quæque intellectus illuminetur, & voluntas confortetur, ac iuuetur in sua volitione & operatione: quod Catholicis asserebant, illi negabant. Patet Primò, ex dictis conclus. I. Secundò, quia D. August. sapissimè illam gratiam quam admittebat Pelagius, opponit gratiæ internæ, quasi ille hanc nullo modo admitteret, vt patet ex epistola 107. supra citata, & epistola 95. vbi ait: illam confiteatur (scilicet Pelagius) apertissime gratiam, quam doctrina Christiana demonstrat & prædicat esse propriam Christianorum, quæ non est natura, sed qua saluatur natura, non auribus sonante doctrina, vel aliquo adiumento visibili, sicut plantatur quodammodo & rigatur extrinsecus, sed subministratio spiritus & occulta misericordia, sicut facit ille qui dat incrementum. Vbi distinguit gratiam extrinsecam ab intrinseca, docetque Pelagium illam solam agnouisse, ideoque ab eo exigit vt veram internam gratiam fateatur nobis esse necessariam: apertè insinuans tunc fore vt Catholici nullam ampliùs ei de gratia Christi moueant difficultatem, & consequenter totam quæstionem de gratia Christi inter eos in hoc puncto consistere, vtrum ad bene operandum nobis interna gratia sit necessaria, sine qua bonum opus nec incipere, nec perficere possimus. Vnde etiam lib. de Gratia Christi c. 47. expressè docet, nullam sibi cum Pelagio de gratia fore vltius quæstionem, si confiteatur eam gratiam, qua roboretur & iuuetur voluntas vt velit & faciat id, quod per legem nouit faciendum, iuxta dicta in fine conclus. I.

67
Quæ fuerit præcipua quæstio inter Catholicos & Pelagianos.

August.

68

Hinc patet eos decipi, qui putant olim Catholicis cum Pelagianis præcipuam fuisse quæstionem non de gratia præueniente, qua datur nobis posse bene operari, sed de gratia huic superaddita, quæ ita datur priùs natura, quam operemur, vt faciat nos operari, quasi prius non detur nobis vt operemur, & vt iuuat nos in operando, sed solum vt der posse operari.

Probant tamen suam sententiã Primò, quia D. August. epistola 107. dicit hanc inter eos esse quæstionem, vtrum præcedat hæc gratia, an subsequatur nostram voluntatem. Hoc est. vt planius, ait, loquar, vtrum ideo nobis detur quia volumus, an per ipsam etiam Deus efficiat vt velimus: Confirmatur, quia ibidem reprehendit Vitalem, docetque eum Ecclesiæ orationi contradicere, cò quòd diceret Deum in nobis ita operari bonam voluntatem, vt si velimus fiat; si autem nolumus, nihil in nobis valere Dei operationem faciamus. Ego fuit inter eos quæstio, vtrum præter gratiam, quæ verè dat nobis posse bene operari, requiratur alia, quæ faciat nos bene operari. Secundò, quia S. August. libro de Gratia Christi cap. 47. requirit gratiam, qua iuuentur non solum posse, sed etiã volitio & actio. Tertiò, quia fuit inter eos præcipua quæstio de gratia propria Christo: atqui talis non est gratia

August.

G

exci.

excitans, quæ solum dat nobis posse bene operari; quia hæc fuit etiam collata Adamo: ergo de hac non fuit quæstio, sed de gratia quæ facit nos operari, quæ est propriè gratia Christi. Quartò, quia Pelagius respuebat gratiam, quia putabat eam tollere libertatem: atqui facile videbat hoc non convenire gratiæ excitanti, cum qua satis patet consistere libertatem: ergo fuit illis solum quæstio de gratia, quæ efficaciter facit nos operari.

69 Sed eos hac in re decipi clarè patet ex dictis. An 5 Augustinus distinguat gratiam quæ dat posse ab ea quæ facit nos operari. Adde, duplicem illam gratiam actualem præuenientem, quarum altera det solum posse, & non iuuat in imperando, altera verò faciat nos velle & operari, numquam fuisse ab Augustino assertam, aut cognitam: etsi enim Augustinus eam gratiam quæ facit nos velle & operari, sæpè distinguit ab ea gratia, qua Pelagius dicebat nobis dari posse bene operari (quam, vt ostendi supra ex c. 41. & 47. de Gratia Christi, ipse constituebat in solo libero arbitrio) nullibi tamen eam distinguit à gratia actuali, quam Deus nobis interiùs immediatè confert, quæque voluntatem corroborat, ac vires operandi præbet. Imò lib. de Gratia & libero arbitrio c. 16. & alibi apertè indicat eandem esse gratiam quæ nobis dat vires operandi, cum ea quæ facit nos operari. docet enim Deum facere vt faciamus præbendo vires efficacissimas voluntati: quod nihil est aliud quàm ipsum huic dare eam gratiam, qua ita corroboratur vt fiat potens facillè operari. Hanc igitur gratiam solum distinguit à natura, quam Pelagius vocabat gratiam, qua datur nobis posse. & à doctrina externa, quam ille vocabat gratiam, qua datur faciliùs posse, vt patet ex dictis conclus. 1. vnde etiam Trident. sess. 6. c. 5. & canon. 4. apertè insinuat eandem esse gratiam, qua Deus voluntatem præuenit excitando, & cuiam excitati liberè cooperamur.

70 Ad primum argumentum contrarium, Respòdeo ibi solum dici Pelagium sensisse Deum dare nobis gratiam, quia priùs habuimus bonam voluntatem, atque ita ex meritis: August. verò contrà asserere Deum dare gratiam priùs, quàm bene velimus, atque ita sine meritis. quæ nihil contra nos faciunt. Ad confirmationem, nego assumptum. nec enim D. August. ibi reprehendit Vitalem ed quòd negaret Deum ita in nobis operari assensum, vt non relinqueret in nostra potestate dissentire, atque ita facere eius operationem inefficacem (sic enim ei Tridentinum sess. 6. c. 5. apertè repugnaret) sed quia dicebat Deum solum in nobis operari bonam voluntatem, dando nobis legem, & deinde nos omnino relinquere nostro arbitrio sine alio auxilio. nam Vitalis apud August. ibidem ad illud Apostoli, Deus operatur in nobis velle & perficere; respondet: Per legem suam, per Scripturas suas, Deum operari vt velimus, quas vel legimus, vel audimus; sed ipsi consentire vel non consentire, ita nostrum est, vt si velimus, fiat: si autem nolimus, nihil in nobis valere Dei operationem faciamus. Quæ pro aduersarijs nihil omnino faciunt, sed nostram conclusionem clarè probant; nam Vitalis ibi apertè negat omnem gratiam præter doctrinam.

Ad secundum, Respondeo id apertè pro nobis facere, quia, vt patet ex dictis conclus. August. ibi solum requirit, vt Pelagius præter naturam liberi arbitrij (quam vocat possibilitatè, quia putabat nos per eam absolutè posse seruare mandata) & præter externam doctrinam (qua Pelagius dicebat liberum arbitrium adiuuari vt faciliùs benè ageret) concedat veram gratiam internam, quæ voluntatem iuuat cum volumus & operamur: quod dicimus fieri per gratiam excitantem secundum mentem Augustini & Tridentini. Agimus autem hic solum de gratia præueniente, abstrahendo ab eo an præter eam requiratur aliqua concomitans ab illa distincta.

Ad tertium, nego minorem: neque enim vnam August. aut vllum Concilium negauit gratiam internam, qua voluntas nostra redditur verè potens benè operari, esse gratiam Christi; nec Pelagius vnquam talem gratiam concessit, vt supra ostendi; neque quicquid hæreticis cum Catholicis fuit tunc vlla quæstio, quæ ratione gratia verè sufficiens ad operandum distingueretur ab efficaci (vt volunt aduersarij) sed vtrum ad omnia opera bona ac ad initium fidei esset necessaria vera interna gratia, quæ nobis sine vilo merito detur, & quæ voluntati det vires ad bene operandum, & in eo iuuat, vt patet ex dictis. vnde etiam D. August. l. de Gratia & lib. arbit. c. 16. sæpè docet, Deum facere vt aliquid velimus & faciamus, nihil esse aliud, quàm ipsum præparare nostram voluntatem, eique dare efficacissimas vires bene operandi, quibus scilicet ita confortetur, vt res etiam difficillimas facillè faciat.

Videntur autem contrariæ sententiæ Auctores maximè hinc niti auctoritate D. Augustini in cap. 10. 11. & 12. lib. de Correctione & gratia, vbi distinguit gratiam nobis datam à Christo, quæ fit vt perseueremus, à data Adamo in paradiso, qua potuit perseuerare, non tamen perseuerauit. quod illi ita accipiunt, quasi hæc fuerit cum Pelagianis difficultas, quòd ipsi concederent hanc nobis dari, illam verò negarent. Sed vel ex hoc ipso loco facillè potuissent contrarium colligere, si eum diligenter & attentè legissent. Primò, quia ibi solum est quæstio de dono perseuerantiæ, quod dicitur nobis dari, tamen non fuisse datum Adæ in paradiso. Augustino autem cum Pelagianis fuit quæstio non tam de dono perseuerantiæ, quàm de gratia necessaria ad singula bona opera, vt patet ex pluribus ipsius locis. Quæstio autem de dono perseuerantiæ postea excitata est à Semipelagianis.

Secundò, quia Augustinus ibidem cap. 10. apertè contrarium docet his verbis: Hinc exoritur alia quæstio non sanè contemnenda. & infra: Quæritur enim à nobis quantum attinet ad hoc donum Dei, quod est in bono perseuerantiæ vsque in finem, quid de primo homine sentiamus, &c. vbi apertè docet, occasione aliarum difficultatum, quas contra Pelagium disputabat, posse quidem moueri, atque adeò aliquos fortè mouisse quæstionem de gratia Adam, qualis fuerit, & an acceperit donum perseuerantiæ: hanc tamen esse distin-

distinctionem à quaestione quam ipse contra Pelagium tractabat.

74 Distinguit autem ibidem gratiam Adami à nostra. Primum, quasi ab effectu, quòd illa non fecerit cum perseverare, hæc autem faciat nos perseverare, dependet tamen à libero vtriusque arbitrio. ut aperte ibidem docet. unde infert Secundam differentiam, quòd nostra sit efficacior; quia ille cū sua gratia non perseveravit, cū facile posset; nos cum nostra in summis difficultatibus perseveramus. Tertiò, capite 11. initio insinuat differentiam maximè intrinsicam, quòd Adam habuerit solum gratiam habituales, nos autem continuo ferè accipiamus actuales, quibus præcipue sit ut perseveremus. verba ipsius sunt: *Quid ergo? Adam non habuit Dei gratiam? Imò verò habuit magnam, sed disparem. Ille in bonis erat, quæ bonitate sui conditoris acceperat: neque enim ea bona & ille suis meritis comparavit, in quibus nullum patiebatur malum; Sancti verò in hac vita, ad quos pertinet liberationis hæc gratia, in malis sunt, ex quibus clamant ad Deum, Libera nos à malo. Ille in illis bonis Christi morte non eguit; istos à reatu & hereditario & proprio illius agni sanguis absoluit. Ille non opus habebat eo adiutorio, quod implorant isti, cū dicunt: Video aliam legem in membris meis, repugnātem legi mentis meæ, &c. Deinde fuse pergit ostendere nobis ob luctam carnis contra spiritum frequenti & potentiori gratia opus esse, quæ ille liber ab illa lucta, aliisque molestiis ut perseveraret in bono non indigebat.*

75 Vbi notandum quod dicit, *Ille in bonis erat quæ bonitate conditoris sui acceperat.* Quia scilicet vtr libto 12. de Civit. c. 9. de angelis ait: *Deus in eo erat simul condens naturam, & largiens gratiam.* vbi aperte indicat ipsum initio suæ creationis accepisse gratiam habituales (neque enim hæc possunt de actuali gratia, quæ non simul ab initio, sed pro diversis occasionibus diverso tempore datur, intelligi) quæ posset perseverare si vellet. & deinde his conformiter negat ipsum ad perseverandum eguisse eo auxilio (actuali scilicet) quod quotidie imploramus, & sine quo non possumus perseverare. unde consequenter inferius ait: *Tunc ergo dederat Deus homini bonam voluntatem: in ea quippe cum fecerat rectum. dederat & adiutorium sine quo in ea non posset permanere, si vellet.* (ecce quomodo docet hoc eorum adiutorium initio creationis datum fuisse; quod de gratiis actualibus, quæ sæpius debent dari, dici nequit) *ut autem vellet, in eius reliquit arbitrio.* & infra: *Sed quia noluit permanere, profectò eius culpa est, cuius meritum fuisset, si permanere voluisset: sicut fecerunt angeli sancti, qui cadentibus alijs per liberum arbitrium per idem liberum arbitrium steterunt ipsi, &c.* Vbi hominem creatum in bona voluntate accepto semel auxilio ad perseverandum necessario, ideo dicit suo deinde relictum arbitrio, & angelos per idem liberum arbitrium steterisse, per quod alii ceciderunt: quia Deus donatos semel gratia habituali, nullis amplius gratis actualibus ad perseverandum excitavit, sicut nos quotidie excitat, atque ita illos sibi suoque arbitrio relinquere; nos verò facit vincere, quoties vincimus, quia scilicet quotidiana sua gratia nos ad consensum impellit, illos non. Possunt hæc ex-

Coninck de act. supernat.

placari pulchro exemplo. ponamus enim aliquem principem, qui duos mittat ut occidant duas feras, quarum una sit ligata, ut non possit lacerare nisi volentem, & facillimè possit superari: altera verò sit soluta & libera. Detque vtrique arma necessaria, ut suam feram quisque superet. sed missum ad priorem suæ industriæ planè relinquit: secundo verò diversa consilia ac modos pugnandi suggerendo, ac trepidanti animos addendo, & defatigato vires refocillando, eumque ad pugnam excitando assistat. Quo casu etiam vterque vinceret armis à principe acceptis, tamen ille propriè diceretur secundum fecisse vincere, non autem priorem; sed hunc reliquisse suæ industriæ & arbitrio, quantumvis ligando prius feram ei fecerit pugnam longe faciliorem quàm secundo. Sic Adam pugnauit cum sensualitate planè ligata ac domita, nos cum soluta & ferociente. Ideoque continuis auxiliis nobis opus est, quibus Deus nobis pugnam facilioret & ad eam impellat, atque ita faciat nos vincere. Hæc pluribus explicui, quia video multos in horum capitum intelligentia magnas pati tenebras, & ex illis plurima inferre à veritate ac mente D. Augustini penitus aliena. Multas tamen difficultates, quæ commodè hic potuissent tractari, & sine quarum explanatione res hæc non potest plenè intelligi, sponte omitto; quia nullo modo intendi hic explicare naturam gratiæ, aut quæ debeat dici sufficiens, quæ efficax; & quomodo hæc ab illa differat; sed solum volui explicare difficultatem merè historicam, scilicet quid tam Pelagiani, quàm Semipelagiani de natura ac necessitate actuum supernaturalium senserint, quod ad præsentem tractatum directè spectabat.

Ad quartum, nego primam partem minoris, nam, etsi hæc concordia gratiæ etiam verè interna cum nostra libertate facilis sit ei, qui gratiæ munus & naturam bene intelligit; est tamen difficilis illis, qui illa non capiunt, sed putant omnino esse alia, quàm reuera sint. ut olim contigit Pelagianis, qui ideo negarunt veram gratiam internam, ne cogerentur negare liberum arbitrium, sicut nostri iam hæretici negant liberum arbitrium, ne negent gratiam: sed vtrique ex crassa ignorantia, & maligna voluntate id faciunt; Catholici verò quia facillè vident gratiam cum libertate posse consistere, vtrique asserunt.

77 CONCLUSIO III. Pelagiani nullos agnoverunt in hac vita actus supernaturales nobis necessarios ut ad iustitiam disponamur, aut vitam æternam mereamur. Sequitur ex dictis, quia illi actus non sunt supernaturales, quos possumus elicere viribus naturæ sine ullo speciali divino auxilio, quo vires nostræ adiuventur, & corroborentur siue eleuentur: atqui, ut patet ex dictis, secundum illos possumus ea ratione solis viribus naturæ elicere omnes actus nobis ut ad iustitiam disponamur, & vitam æternam mereamur, necessarios: ergo secundum illos omnes hi actus non sunt supernaturales. nec video possitis præcedentibus conclusionibus quid contra hanc possit obici.